

uperè adeò & sub veteris fermè anni exodium de CAROLIS *quinq;* perorantem audivistis CASPAREM CHRISTIANUM HÜBSCHIUM, nunc de HENRICIS *septem* HENRICUM audietis KRIEGERUM, si commodum fuerit, quod; ut fua, rogamus. *Nomen* ipsum quod attinet, plerique omnes sentiunt natales agnoscere Germanicos, ut sit *Henrich* vel *Heinrich* quasi *Heim-reich* / *domi dives*, sive (quod Becmano super addidit Harsdorfferus *Specim. Philolog. Germ. disquisit. XI. §. 32.*) *familiarum dives*: Becmanus namq; priorem solùm amplexus est explicationem, ut *Heinrich* idem sit quàm *αὐτάρκης*, *sibi ipse sufficiens*, non indigus *externæ opis aut alienâ videre quadrâ*: à quo non multum abludere videatur *Emmericus* vel *Emericus*, obtritâ quasi aspiratione, quanquam idem Becmanus aliam deductionem malit, quasi *Zimmerreich* / *αἰεὶ πλῆθος*. Nec multum abit *Ericus* sive *Erricus*, uti memini sæpius in libris suis exarasse Henricum Stephanum Gallorum illum Homerum (sive Aristarchum dicere placeat), *Ἐρρίκος ὁ Στέφανος* (obiter noto, *Stephanum* eundem esse cum *Cornelio*: dictus est enim *Cornelius* quasi (\*) *Coronellus*: perinde ut significatu eadem sunt *Fridericus*, *Irenæus* & *Salomon*; *Johannes* & *Ulricus* seu *Udalricus*, *Gratius*, *Gratianus*, *Charisius*; *Otto* & *Hatto*; *Magnus* & *Magdalena*; *Agnes* & *Catharina*; *Nicodemus* & *Demonicus*). *Ericus* porrò, *Erich* idem est ac *Ehrenreich* (*Herren und Ehren sollen beyammen seyn*) / qui *abundat honoribus & dignitate*: ut *Bertboldus*, ex quo corruptius est *Bartboldus* seu *Bartolus*, *Berthold* quasi *Werthold* / *dignus favore*: ut *Leopoldus* vel *Leupold*, *Erasmus*, *Erasmius*, *ἀπὸ τοῦ ἐράων*, *lieb und hold* / quem *amore* prosequimur & *gratiâ*. Sed nobis ex hoc diverticulo ad Henricorum *ἐπιτάδα* revertendum.

- I. Quum jam fata & sæcula Carolingorum rhombum Romani Imperij, haut sine numine Jhovæ, ad Saxones devolverent, Imperator Conradus Conradi Francorum Regis Filius, morti vicinus,

Hen-

(\*) Vide tamen Georgium Pafor in Etymis nōminum Propriorum, qui aliam derivationem Cornelij arcessere maluit.